

pora naturalia composita sive concreta in ea, ex quibus naturaliter constant, resolvendi, resolutaq; pura & viribus validissima reddendi, ut utilia Medicis praebeant remedia, vel Metallorum perfectioni & transmutationi inservant. Videatur locus supra citatus & appendix de constitut. chymia.

### VIII.

Genus definiti extra omnem controversiam versatur: quippe cum non Ipeculativam aliquam corporum naturalium notitiam vel scrutationem, sed manualement eorundem elaborationem sibi proponat Chymia, facile colligitur eam esse artem, & quidem factivam seu ἐξινεστικὴν λόγῳ ποιητικῆν.

Ἀνάλυσις  
definitionis.

### IX.

Subjectum Chymiae & modus considerandi ex definitione facile innotescit: Est nimirum corpus naturale compositum sive concretum, quatenus solubile & elaborationi chymicae aptum & idoneum existit.

Subjectum  
Chymiae.

### X.

Finis itidem constat, duplex scilicet. Internus, qui est ipsum opus, seu resolutio & purificatio corporum naturalium: Externus qui rursus duplex: Vel enim ad Metalla transmutanda, vel ad medendum dirigi & adhiberi possunt opera Chymica. *Ibid.*

Finis internus.  
Externus.

### XI.

Licet autem alter Chymiae finis, metallorum scilicet transmutatio indubium vulgo vocetur: Experientia tamen seculi nostri, & rationibus convicti certitudinem illius nullo modo negandam, sed difficultatem potius accusandam putamus.

Chymiae veritas.

### XII.

Quoniam autem huius loci non videtur rationes, quae pro assertione nostra facere possunt, adducere: ideo ad ea quae haec de re scripsit *Libavius* & alii, lectorem remittimus.

### XIII.

Usus autem quem praestat Chymia, si spectemus, is certe apparet maximus. Nam praeter metallorum metamorphosin, quam nulla alia ars promittit, etiam naturalis scientiae, ipsiusq;

Utilitas.